DISSERTATIO
DE
MYRISTICA
&
THUNBERG

Smithsonian Libraries

Adopted for Conservation by

April G. Shelford
in honor of Karl Shelford

February 12, 2017

DE

MYRISTICA

CONSENSU EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

CAROL. PET. THUNBERG,

EQUITE AURAT. REG. ORD. DE VASA,
MEDIC. DOCT. PROFESS. MED. ET BOTAN. REG. ET ORD., ACAD. CÆSAR.
NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LONDINENS. HOLMIENS. SOCIET. SCIENT. UPSAL.
PATR. HOLM. BEROL. NAT. SCRUT. LUNDENS. HARLEM. AMSTELD. ZELAND.
NIDROSIENS. HALENS. NAT. SCRUT. MEDIC. EDIMBURG. ET NAT. STUDIOS. IBID.
MEMBRO; NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. MONSPELIENS. AGRICULT.
PARIS. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PRO GRADU DOCTORIS,

DISSERIT

FRIDERICUS VILHELM. RADLOFF,
STOCKHOLMIENSIS.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. XXVIII. MAJI MDCCLXXXVIII.

H. A. ET P. M. S.

UPSALIÆ, LITTERIS DIRECTOR. JOH. EDMAN.

Smithsonian Institution
RICHMOND
COLLECTION
238315
National Museum

583.927
T53
SB
307
N7
T5
1788
SCNHRB

DE
MYRISTICA MOSCHATA.

§. I.

DESCRIPTIO BOTANICA.

MYRISTICA moſchata: foliis lanceolatis, fructu glabro.

ARBOR magnitudine Pyri vel ultra; cortice lævi, fuſco-cinereo.

RAMI patentes, ultimi capillares glabri.

FOLIA lanceolata, acuminata, integra, alterna, parum nervoſa, glabra, ſupra viridia, ſubtus pallida, digitalia.

FLORES in ultimis ramulis, pedunculati, ſparſi, ſolitarii, monoici.

CAL. Perianthium 1-phyllum, trifidum, glabrum: Laciniæ ovatae, erectæ, breves.

COROLLA nulla.

STAM. Filamentum unicum, filiforme, calyce brevius. Anthera ſub apice filamenti, perforata, ſtriata.

PIST Germen ſuperum. Stylus craſſus, didymus, brevis. Stigmata duo, acuta, brevia.

PERIC. Drupa ovata, umbilicata, glabra, unilocularis, lateraliter dehiſcens, in pedunculis reflexis pendula. Caro pallide vireſcens, tandem pallida, adſtringens. Nux maci reticulata aurantiaca cincta, rugoſa. Nucleus rugoſus.

Hæc vera eſt Myriſtica, cujus nuces in Europam venales feruntur; alia vero exſtat ſpecies, in India non nunquam uſitata, ſpecie a priori diverſa, ſcilicet:

MYRISTICA tomentoſa: foliis ovatis, fructu tomentoſo.
ARBOR minus ampla & ramoſa, ramis ramulisque magis crasſis.
FOLIA lato-oblonga, obtuſiuſcula, craſſa, nervoſa, ſupra viridia, ſubtus pallida, parum tomentoſa, palmaria usque pedalia.
FLORES ad baſin ramulorum, pedunculati, ſolitarii; pedunculis brevibus, craſſis, tomentoſis.
FRUCTUS drupa oblonga, obtuſisſima, ſubtomentoſa.
FIGURAS harum & Deſcriptiones exhibet Rumphius in Herbario Amboinenſi Vol. 2 tab. 4 & 5 & Celeb. Dn. Præſes in Actis Holmenſ. 1782. p. 46. tab. 1.
PALALA Buronget kitjil reliquæque ſpecies a Rumphio tab. 6, 7, 8, & 9 deſcriptæ, an veræ ſint ſpecies Myriſticæ, certo non audemus aſſeverare, dum partes fructificationis ut plurimum adhuc incognitæ ſint. Jndicis Nationibus pluribus M. moſchata dicitur Pala, M. tomentoſa Pala Lacki; licet in diverſis inſulis diverſæ aliæ harum ſint denominationes.

§. II.

Locus & Cultura.

Creſcit ſponte Myriſtica in Moluccanis inſulis & hodie præcipue culta in Banda tribusque parvis ejus Provinciæ inſulis, ſcilicet Neijra, Lontoir & Pulo Aij. In Neijra præ ceteris Nuces proveniunt optimæ, & in Pulo Aij maximæ atque pulcherrimæ arbores. Omnibus in aliis Moluccanæ Archipelagi inſulis, ex pacta cum Regibus conventione, arbores omnes, Myriſticas ferentes, eradicatæ ſunt. *a*) Loca imprimis montoſa amant pretioſæ hæ & raræ arbores, quæ non parum lucri, elapſis proxime duobus

a) Ind. fidſus & illuſtris Peregrinator Dom. *Sonnerat* in Nova Guinea Myriſticas creſcere obſervavit. Sine dubio etiam aliis in inſulis extremi

bus ſeculis, Belgis attulerunt. Aliarum arborum umbram Myriſticæ requirunt, ne nimis a ſirio urentur & præcipue amant a ventis marinis eorumque ſalſis exhalationibus defendi. Anno quinto vel ſexto fructus ferre incipiunt, octavo autem vel nono uberrimam dudum relinquunt meſſem.

Sponte propagatur arbor per Columbas, nuces integras deglutientes, quarum maci tantum & pulpa nutriuntur, cetera Turdi inſtar reddentes.

Drupas nondum apertas Belgæ hodie ſerunt pullulantesque arbuſculas pro lubitu transplantant. Gerunt vero per ſervos omnem curam tam plantationis arborum, quam collectionis fructuum, indigenis bellicoſis initio ſeculi decimi ſeptimi omnino devictis & eradicatis.

§. III.

Collectio.

Toto quidem anno fructus edit Myriſtica, cum ſenſim floreat fructusque maturet, ter tamen in anno maturæ colliguntur nuces. Maturitatis ſignum eſt, quod fructus exterior pellicula leviter rufum præbeat colorem atque hinc inde findatur.

Maxima collectio fit ſub finem Julii vel Auguſti, dum Fructus copioſiſſimi ſunt, licet Macis tenerior; Novembri ſecunda fit, tertia Martio vel initio Aprilis, dum optimi fructus colliguntur & craſſiſſima ex illis macis obtinetur. Sub collectione Incolæ ipſas arbores conſcendunt, nuces adducentes longis hamis celerique atractione avulſas in terram projiciunt.

Oceani hoc Aroma invenitur. Cultura Myriſticarum a Gallis, inſulis eorum africanis tentata ex ſententia illis non ſucceſſit; in Cayenne autem hodie læte creſcere relationes perhibent. Vide *Acta Pariſina*.

Collectæ nuces a ſervis cultro aperiuntur, exterior pars carnoſa tollitur & in ſilvis relicta acervatim putreſcit. Depuratas ſic nuces domum reportant & cultello macim abradunt, quæ quantum fieri poteſt ſervatur. Macis per aliquot dies certis quibusdam quadratis exſtructis locis, ubi color kermeſinus in obſcure rubentem tandemque croceum mutetur, ſole exſicatur. ſublata maci, per tres dies Incolæ nuces ad ſolem ſiccant, ſingula veſpera illas in aedes ducentes, ne pruina lædantur.

Nonnumquam quoque in ædibus, per menſis ſpatium, fumo exſiccantur. Nuces autem ſiccatæ fuſtibus pulſantur, vel etiam ſaxo quodam contunduntur, donec putamina confringantur.

Nuclei ſelecti in tres cumulantur acervos. Primo maximi & optimi, in Europam transferendi *b*); altero viliores in Indiis conſumendi; inque tertio minores & vilisſimi, e quibus tantum oleum elicitur. Hoc facto, nuclei lanci imponuntur & a mercatore, qui illos emit intra octiduum aqua calcis infunduntur, ut a putredine inſectisque conſerventur.

Macis etiam, poſtquam optime fuerit ſiccata, ponderanda eſt ac in ſacculis ſervanda, prius autem aqua marina adſperdenda, ne fragilis nimis in parvula fruſtra frangatur. Pedibus macis, tam firmitur ac fieri unquam poteſt, impingitur, in ſingulo ſacco ad libras usque 161, &

b) Nuces, quæ in Europam vehuntur 250000 Libr. efficiunt; In India vero 100000 Libr. nucum & 10000 libr. macis conſumuntur. Europei 100000 Libr. macis utuntur. Lucrum tamen, quod Belgæ quæſtuoſa hac ex mercatura reportant, hodie valde imminutum eſſe nos edocet Dominus *Raynal* in Hiſtoire des etabliſſemens des Europeens dans les deux Indes.

& hoc modo ſacco adhuc ſuper inducto & litteris ſinisque conſignato, navibus in Belgium ttansmittitur.

E nucibus moſchatis, in Indiis duplex genus olei præparatur, i Europam transvehendum, ſcilicet vel expreſſum vel deſtillatum. Ex hisce tamen rarius in Europam venit oleum deſtillatum, quod pellucidum eſt ac vires habet aromaticas ipſius nucis. Oleum expreſſum e vilioribus nucibus preſſura elicitur. Nuces in ſartagine torrefactæ contunduntur, denuo calefiunt & in ſaccis e textura Calappi (Cocoes nuciferæ) piloſa confectis, inter duas aſſerculas arctiſſime comprimuntur, donec Oleum profluat, butyri recentis inſtar liquefacti, craſſum, quod in quadratis receptaculis exceptum condenſatur.

E Maci contuſa & calefacta quoque oleum, ſanguinei coloris, ſemper molle, ſaporis pinguis & amaricantis, absque notabili calore exprimitur, quod tamen in Europa uſu medico raro obvenit. E $17\frac{1}{4}$ Libr. macis $\frac{1}{2}$ Libr. olei obtinetur.

Virides nec omnino adhuc maturæ drupæ in India ſaccharo condire ſolent Belgæ. Prudenter tum arbore decerptæ aqua ebulliuntur, ſtilis perforantur & per octo vel decem dies in recenti aqua ſenſim renovanda macerantur, donec omnis ablata ſit acerbitas; Dein in ſacchari ſolutione, quæ per octo dies, omni die effundenda, calefacienda denuoque nucibus affundenda erit, coquuntur & in lagenis vitreis optime clauſis ſervantur. Muria quandoque infunduntur nuces, tantum a plebejis adhibitæ.

Tinctura ſpirituoſa, luteſcens, olida & ſapida evadit.

§. IV.

Vires & Qualitates.

Myriſtica cum arbor ſit ſucco ſanguineo difluens & quam maxime aromatica, atque e fructibus immaturis lac, ſicca-

tum calci haud disſimile exſtillat, non mirum, ab omni ſupicione venenatæ & noxiæ indolis liberari non poſſe, licet prudenter fructus uſitati tam diætetice quam medice profuerint. Docuerunt triſtia exempla, halitum arboris & fructuum non modo nocuiſſe, ſed etiam exſtinxiſſe, qui illi ſe imprudenter & diutius expoſuerunt. Memorat *Rumphius* de binis militibus, ſub arbore Myriſtica pernoctantibus, quod altero die experrecti, vertiginoſi fuerint & ſomnolenti. Alii quinque vel ſex nuces edentes inde delirio corepti ſunt. De alio quodam narrat, quod in lecto mortuus fuerit inventus, ante cujus lectum collocatæ erant nuces, e quibus tamen comediſſe ſupicabatur atque a nimia copia in fatalem ſomnum incidiſſe. vid. Rumph. Herb. Amb. T. 2. p. 21, 22.

E nimia doſi nucum opreſſio pectoris, difficilis reſpiratio, intenſa ſitis, Cephalalgia, Vertigo immo lethalis Apoplexia oritur. Nocet vero in primis uſus horum fructuum, qui alvo tarda & obſtipata, Hæmorrhoidibus & morbis ſoporoſis laborant, vires enim ſopientes habent ac temulentiam, delirium & apoplexiam excitare valent.

§. V.
Uſus.

Pretioſum aroma nucis moſchatæ ad noſtram cognitionem Arabes, antiquitus ejus commercium agentes, deduxerunt & ejus primam mentionem *Avicenna*, maximum medii ævi decus & inter Muhamedanos medicus præſtantisſimus fecit.

Ad cibos condiendos non minus nuces quam macis conducunt. Proficuæ nuces in primis ſtomacho debili habentur & profluviis tam ſanguineis, quam ſeroſis, prudenter modo uſurpatæ medentur.

In Diarrhœa & Dyſenteria, nux toſta cum hauſtu vini rubri vel alio vehiculo, adhibita ſæpisſime votis reſpon-

ſpondet. Nuci quoque Opium addere Arabes ſvevere. In Nauſea, Vomitu & Tuſi gravidarum nux moſcata a variis c) Medicis practicis commendatur.

Semimaturas aſſatas cum fructibus Muſæ, caute tamen, in profluviis ſanguineis & ſeroſis comeſtas fuiſſe aſſeverat nobis Rumphius.

Torrefacta autem, ex præſcripto Londinenſium, nux myriſtica in hisce caſibus caput minus movebit. Febres intermittentes cum alumine junctum hoc pharmacum ſæpe ſiſtit; ſed heic prudentia erit adhibenda, ne graviora inde mala ſequentur.

Externus nucis moſchatæ ejusque oleorum uſus, periculi non adeo plenus eſt, ac quidem internus. Oleum expreſſum membris illinitur in India orientali æque in Beriberi ac in Paralyſi. In Europa oleum propinatum fuit interne ad ſcrupulum dimidium, externe vero umbilico illinitum utile habetur ad ſiſtenda tormina & evacuationes primarum viarum nimias; ac temporibus inunctum, ſomni provocandi ergo. Uſu quoque externo oleum expreſſum varia præparata officinalia, Emplaſtra ſcilicet ſtomachalia, Unguenta nervina & Tincturas nervinas, ad dolores & ſpasmos ſedandos, ingreditur.

Oleum eſſentiale & Tinctura ſtomacho debili inſerviunt. Saccharo conditi fructus cum aliis tragematibus ſub finem menſæ vel poſt meridiem cum potu Theæ, in fruſta minuta conſciſi, comeduntur & ventriculo robur addunt.

Arbo

---

c) *Hoffman*, *Lewis*;

Arboris lignum, ſaltem in India orientali, ad poſtes ædium uſurpatum, neque in oeconomia ſuo caret uſu, uti neque Fructus e Myriſtica tomentoſa, licet viliores & virtute debiliores fuerint.

Tantum.